

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

### **Candelabrum Apocalypticum Septe[m] Luminaribus coruscans; Oder Apocalypticischer Leichter Mit siben Liechtern vnd Facklen flammendt**

Das ist: Sibefache Predigen durch siben Jahrgäng, auff alle Sonn- und  
Feyrtäg ieglichen gantzen Jahrs außgetheilt

Ersten Leichters, oder Ersten Jahrs Festival- oder Feyertäglicher Theil

**Brinzing, Johannes Capistranus**

**Kempten, 1681**

Facultas Reverendissimi Patris Ministri Provincialis

[urn:nbn:de:bsz:31-107492](#)

*Facultas Reverendissimi Patris Mi-  
nistri Provincialis.*

**E**go F. Simon Stahl Ord. FF. Min.  
Recollectorum Provinciæ Argenti-  
næ Minister Provincialis, faculta-  
tem concedo, ut *Prima pars Sanctoralis*  
à V.P. Capistrano Brinzing eiusdem Ordinis & Pro-  
vincia Sacerdote, & Concionatore composita, ac à  
Theologis ad id deputatis censa, prælo da-  
ri possit. In cuius fidem has mea manu, Of-  
ficiique Sigillo munita dedi in Conventu  
nostro Lenzfridano ad S. Bernardinam,  
die 16. Augusti 1680.

(L.S.)

*F. Simon qui supra.*

X

*Appro-*

*Approbatio Theologica,  
Ex speciali Mandato R<sup>mi</sup>. & Celsissimi Ab-  
batis ac Principis Campidonensis.*

**F**estivale Candelabri Apocalyptic, primi Anni,  
Reverendi Adm. P. Ioannis Capistrani Brinzing  
Ord. FF. Min. p.t. Ducalis ac Exemptæ Basí-  
licæ Campidonensis Concionatoris Extraordinarii , vi-  
di, legi, & perlegi, in quo Opere nihil adinveni , quod  
censurā taxari aut maculari posset: attingit enim dicen-  
di Regulas, quas in *Constantio Arausicorum Episcopo*  
pulchritè desideravit *Ambrosius Epist. 44.* ubi ait: *Fulgeat*  
*sermonum tuorum manifestatio, Intellectus coruscet,*  
*& Eloquium tuum, atque Intellectus aliena non indi-*  
*geat assertione; sed sermo tuus se se ipse tueatur, nec ul-*  
*lum verbum tuum in vanum exeat, & sine sensu pro-*  
*deat.* Idcirco eximum hoc Opus ( quod ad amorem  
virtutum , vitiorum horrorem , ardentissimumque æ-  
ternæ Beatitudinis desiderium & suavissimè dirigit , &  
fortissimè impellit) non tam meam approbationem ex-  
petit , quàm publicam expectat, mereturque omnium  
Verbi Divini Præconum acclamationem. Ita sentio  
& censo. Campidonæ die 17. Januarij 1681.

CHRISTOPHORVS Giel à Gielsberg Ord. S. Bene-  
dicti in Ducali ac exempto Monasterio Campidonensi  
Capitulari & p.t. SS. Theol. Professor Ordinarius.

APPRO-

# APPROBATIO

Admodum V. P. Petri Staudach SS. Theologie  
Lectoris.

Ego infra scriptus, de mandato Adm. R. P. Mini-  
stri Provincialis Ordinis Fratrum Min. Recollecto-  
rum almæ Alemanniæ, seu Argentinensis Provin-  
ciæ ad id specialiter deputatus, hærum tenore attestor,  
quod Candelabri Apocalypticæ Festivale Primi Anni  
Venerandi Adm. ac Religiosissimi P. F. Ioannis Capi-  
strani Brinzing eiusdem Ordinis, & Provincia Con-  
cionatoris Zelosissimi, quâ poteram sedulitate, & indu-  
stria, relegerim, neque in eo quicquam, quod aut sacræ  
Fidei Orthodoxæ, aut morum integritati adversaretur,  
repererim; quin juxta Seraphicæ Regulæ nostræ Institu-  
tum examinata omnino & casta sint eius eloquia ad  
utilitatem & edificationem populi, annuntiando eis vi-  
tia & virtutes, pœnam & gloriam, (& quod caput est)  
cum brevitate sermonis, &c. Quare illud omnibus, ac  
præcipue Verbi Dei Praeconibus & animarum Pastori-  
bus spero fote proficuum, proindeque jure suo publi-  
cam lucem merericenso. Datum in Conventu nostro  
Salisburgensi, ejusdem Ordinis ac Provinciæ die 22. Ja-  
nuar. Anno recuperatae Salutis M. DC. LXXXI.

F. Petrus Staudach, Franciscanus in præfato  
Conventu, p.t. SS. Theol. Lector Ordinarius.

# PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Cum Facultate P. Provincialis.

**C**Vm sacra Cæsarea Maiestatis Decreto omnibus, & singulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quam cunq; librariam negoriationem exercentibus serio & firmiter inhibeatur, ne quisquam ullos libros, à nostris Patribus hactenus editos, aut imposterum edendos intra Sacri Romani Imperij, Regnorūmque ac Dominiorum hereditariorum fines simili vel alio characteris genere, aut forma, sive in toto, sive in parte recudere, vel alio recusendos mittere, aut alibi impressos adducere, vendere, distrahere, clam seu palam, citra voluntatem, & assensum dictorum Patrum audeat, vel presumat. Hinc ego F. Simon Stahl Ord. FF. Min. Recollectorum, Provinciae Argentina Minister Provincialis, Ducali Monasterio Campidonensi Ius usurandi dictum Cæsareum Privilegium, ac suis typis edendi Primam Partem Sanctoralis à V. P. Capistrano Brinzing, ejusdem Ordinis ac Provinciae Patre, compositam, concedo. In cuius fidem has mea manu, Officiique Sigillo munitas dedi in Conventu nostro Lenzfridano ad S. Bernardinum, die 16. Augusti Anno 1680.

F. Simon qui supra.

Ad Lecto-

## Ad Lectorem.

Ibros esse liberos, egregius sanctusque  
 Antistes Clemens Alexandrinus olim  
 aptè scripsit, dum sic fari ausus est: *Filiij quidem corporum, anima autem liberi  
 sunt scripta.*\* Quod & divinus Plato,<sup>Clemente  
Alexand.  
l. i. Strom.</sup>  
 licet Ethnicus, scivisse noscitur, in hunc  
 enim modum eloquitur: *Libros liberis tanto chariores es-  
 se oportet, quanto filij mentis praestant filijs ventris.*\*<sup>Plato.</sup>

Sed quis hominum ignorat filios, ut plurimum pa-  
 rentibus, & parturientibus parere dolores?

Matribus quidem in commissi sceleris justam mul-  
 Etam ipse à principio cunctipotens Deus Dolorem po-  
 suit: *In dolore paries filios,*\* sancit justus Judeus.<sup>Gen. 9.  
16.</sup>

Patres verò liberorum sentire molestias, omnium  
 ferme librorum concordat authoritas.

Quid enim Israeliticæ gentis maximum Atlantem  
 (Davidem regē indigit,) affixit dolorosius, vulneravit.<sup>1. Reg.</sup>  
 acerbius, quā ex Bersabea suscepti filii præmatura mors?<sup>11.</sup>  
 rebellis defectio Absalonis?\* turpis incestus Amnonis?<sup>2. Reg.</sup>

Suis in liberis septies mori debuit & voluit Mater<sup>11.</sup>  
 Machabæorum Salomona.\*

Senacherib Rex à suis propriis interéptus est liberis.

Jacob Patriarcha ille insignis, quid non à filiis, &  
 propter filium Joseph, licet innocentissimum, perpe-  
 fusest?

*Ad Lectorem.*

Deflet Rachel filios suos, *eò quòd non sint*, lachrymis jugibus.

Dolent & hodie dūm plurimi parentes de filiis, vel male se habentibus, vel male habitis; Quorundam dolores augmentur: vel quia liberorum infelicitas propria censetur, vel quia *per nefas* infelices ab aliis reduntur. Verbo ut concludam, non tam falsè, quām veroverius dixit Sabellicus: *Liberorum angustia, angustias pariunt parentibus miseras.*\*

Noscis lector, credo, quòt tendam?

Partum hunc meum edo secundum: Si Titulum species, videbis filium tot sanctorum, sanctorumque filiis, ac filiabus, fœcundum: Quot sanctissima nostra Orthodoxa Catholico-Romana ritu solenni celebrat de Cœlicolis festivè festa Ecclesia.

Fateor ingenuè, in dolore parturiebam hunc filium; Vapulavi etenim post primam meam Opellam in Dominicas, ab æmulis, à sciolis, à Zoilis in tantum, ut missertus mei cum Veneto magno illo scriptore dicere cogar: *Non est liber nisi labor, non est penna nisi pæna, non est calamus, nisi calamitas.*\*

Sed quid moror, & miror?

Liber nomen & omen habet, libri librantur.

Librantur, inquam, ab Authoribus, à Censoribus, ab Impressoribus, à Bibliopolis, ab Emptoribus, potissimum vero à Criticis, à tetricis Lectoribus. Libros hi librant, imo cribrant, & si quid nævi, si quid surfuris inclit,

\* Sabellicus.

\* Laureanus in filia rerum memorab. in præstatione.

## *Ad Lettorem.*

inest, in aures & auras spargunt; frumento saginante  
sub modio suppresso, haud memores illius, quod canit  
Horatius:

*Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis  
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,  
Aut humana parum caruit natura.* \*

\* Horat.  
de arte  
poet.

Ast, quid curet hæc sedulus scriptor? Non sibi scri-  
bit, non sibi insudat, non sibi laborat: qui aliis, si non  
prodeesse, saltem ad manus esse satagit.

Zoilis hoc solummodo cum Martiali accino:

*Carpere vel noli nostra, vel ede tua.* \*

\* Martial.  
lib. 14.  
Epig.

Longè abhinc similibus contradixit oblocutoribus,  
semētque defensavit Christianus ille Cicero ( Lactan-  
tium loquor ) dum sic fabatur: *Satis me vixisse arbitra-  
bor, & officium hominis implesse, si labor meus vel saltem a-  
liquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœlestē direxerit.* \*

449.194

Hoc ipsum mei laboris esto finis, opellæ scopus, scri-  
ptionis intentio, publicationis meta.

\* Lactan-  
tius I. de  
opificio.  
Dei, c. 20.

Braeateam eloquentiam, verborūmque inanem  
fulgorem aliis relinquo: ampullas non fundo, locos  
Rhetoricos pertranseo, numeros Oratorios non sector.

*Alii meros flores loquantur, alii folia.* \* Eloquorego San-  
ctorum Cœlitum vitas, agonias, triumphos, coronas. \* S. Aug.  
I. 4. de  
doct.  
Christ.

Seetari doceo, imitari cohortor, cōcoronari exopto.

Tenui, pro posse, methodum antiquam: scripturæ  
sacræ, uti debui, ac decuit, primas dedi; historias sacro-  
profanaas immiscui, nō deleationis, sed explicationis  
Car-  
amore.

Car-

*Ad Lectorem.*

Carpebam mores, & dilaudabam , si quos vel repræ-  
hensione aut panegyri dignos reperi.

Vitas , gesta , mortes plerumque Sanctorum ex au-  
thoribus classicis refero.

Tu interim Ecclesiastes zelosissime , sume, quod ap-  
pono , bonique consule , quod optimo mentis argu-  
mento subministrare non piguit.

*Videbis maturius hac vice Candelabri mei Lumen se-  
cundum. Vive, Vale.*

ELENCHVS